C

68
13 C
77

68.
13
C
77

MARCELLI

Palonij Rom.

LVDVS EQVESTRIS.

MARCELLI PALONII ROM.
LVDVS EQ. VESTRIS.

NOMINI Q. CAR. CAES. NEAPOLI CELEBRATVS AD ILLVSTREM VIRVM IO. VEGAM HISPANVM.

CAES. ORAT. APVD PAVL. III. PONT. MAX.

AVDITO *latij reſonant dum Cæſare colles,*
Et caput antiquis extollit Roma ruinis,
Lætitiaq; Italæ collucent ignibus vrbes.
Clara viris, armiſq; potens, opibusq; ſuperba
Parthenope, ſupraq; alias priſcæ æmula laudis,
Vt diffuſa ſuo celebraret gaudia Regi,
Littoreum in ſpatium, & magni longa æquora circi
Pulchra ſero iuuenum delegit corpora ludo.
Qui pugnæ ſimulacra nouæ, certamina laudum,
Crudelis ferri, & proprij ſtudioſa pericli
Magnanimis obeant auſis, niſuq; laborum,
Non vt aui ad tumulum, aut primis ſub mœnibus Albæ
Aſcanius puerum pugnam ſimulauit equeſtrem
Orbibus, intextaq; ſuga, curſuq; ſequentum.
Ipſam ſed vi virtutem, & fulgentibus armis
Martem irritaturi, in equis & cominus haſtis,

Diſſimiles animis arment diſcrimine dextras.
Biſſeni numero: verum ordine quilibet vnum
(Omnibus egregia qui iam uirtute reſiſtat)
Par haſta curſuq́ in amici pectus & arma
Ter ruat, effictumq́ tribus premat ictibus hoſtem.
Inuentum hæroum, & non parua leuamina Regum.
Quæ canere, & cuncta e, tenebris attollere in auras
Dum meditor, tantiſq́ ſuum dare rebus honorem.
Muſa adſis: Tuq́ ô decus indelebile gentis
Vegarũ clariſſimorum geſta.
Vega tuæ, obſcuriq́ æui ſpes lucida noſtri,
Cæſaris & Phœbi auſpicio cape muneris huius
Quicquid id eſt, tenuemq́ oculis percurre laborem.
Nec pudeat (quod te clari genitoris imago,
Quodq́ ad uirtutem ſtimulent monumenta tuorum,
Tot deuicti hoſtes, populiq́, ac cæde rebelles
Gallæci aurifert, metuendaq́ Regibus arma)
Mecum inter iuuenes ludentem cernere martem.
Namq́ ea mox alijs (ſuperet modo uita) retexam
Carminibus, tum; ſiqua meo ſit fama labori,
Si uulgi metas uictor poſt terga relinquam:
Primus ego ad ſeros mittam manſura nepotes.
Te quoq́ Vega, feros qui nunc tutela tumultus
Stas contra, & rerum ſtatui ſuccuris iniquo.
(Europæ magno extinctis, a Cæſare bellis,
Vtraq́ poſt maria, & terras, pacataq́ regna,

Et gentes vera ſub relligione redactas
De turcis ducto Romana ad templa triumpho)
Excipiet cantu muſarum Hiſpania ouantem,
Limes vbi Regnorum, humili Valaradueus vnda
Voluitur; & virides fœcundat flumine ripas.
Interea neq́ te leuia ad ſpectacula poſco,
Quando viros, atq́ arma, & equos, & prælia ponam.
Primus in hunc duræ magnum virtutis honorem
Accenſus, proceres inuitat ad arma Camillus. Camill. Pinatellius
Quem lucos inter ſacros fortiſſimus Hector
(Aerio vt fuerat venatus monte leonem)
Hippolyte genuit nympha, Triuiæq́ miniſtra,
Hippolyte (ut fama eſt) mutato nomine dicta
Ex illo (in dulcem dilecti nominis vſum)
Virbius ad ſuperas quo tempore redditus auras.
Et quia erat puero ſimilis puer, ipſa Diana
Per nemora aonidum, & grynæi culmina ſaltus
Duxit agentem etiam iam tunc per paſcua ceruos
Et ſecum aurata figentem cuſpide damas.
Hic prior in medio iuuenum virtute frementum
Aſtitit, indicitq́ diem ludo, atq́ ita fatur.
O ſocij, quia nos reſides pro Cæſare virtus
Hortatur, monſtratq́ viam ſtellantis Olympi,
En acrem proprijs pugnam ſimulemus in armis,
Spumantesq́ agitemus equos: ego quemq́ vocatus

Marte petam, meritæq; addam ſua præmia laudi.
Victori ſit palma adamas, haſtile lacerto
Qui melius feret, & plures contendet in ictus.
Mox erit acre rubens data gemma, decentius acto
Fiſus equo, vel equum tenues qui laxet in auras.
Poſtremus ſcytico donabitur ille ſmaragdo,
Qui ueniet clamide, aut in pictis pulchrior armis,
Dixit: at hunc læto iuuenes clamore ſecuti
Iam pugnas obeunt animo, iam luſibus aptant
Arma & equos, totoq; exercent littore curſus.
Hi galeis inſigne, illi thoracibus addunt
Ornamenta, alij cumulatis more gigantum
Aethera verticibus pennarum attingere gaudent.
Ardentes alijs, & verſicoloribus oris
Collucent oſtro veſtes: ſupra omnia ductis
Ex auri maſſa & lento ſquamis argento
Mœandri indeprehenſa inter ſe ſigna recurrunt.
Sub dura totam ſtrident incude per Vrbem
Fulgoresq; metalla vomunt, & ſydera terrent.
Interea pugnæ promiſſa luce, ſerenam
Expectata diem terris aurora retexit.
Ipſa q; finitimos iam fama vagata per agros,
Exciverat populos, & magni nominis vrbes.
Vndiq; multa manus iuuenum viſura, viriſq;
Permiſtæ circo matres, tectiſq; domorum,

Perq́ vias tonat impulſus clamoribus æther.
Diua refer, quia ſola uiros & prælia noſti,
Vnde genus? qui ad bella nouo certamine, & ipſos
Complerunt picto lucentes agmine campos.
Primus Mormillo patre clarus, & acer in armis
Lucet equo, martemq́ audet committere ludo, Cæs.Mormillius.
Inſignis forma iuuenis, numeroq́ ſuperbus
Et uirtute uirum (pulchræ ſirenis in antro
Septem ipſa ætherias mater produxit in auras,
Septem animis atq́ ore pares, ſed maior in illo
Frontis honos, tenero maior ſpes credita uultu)
Cunctorum plauſu exceptus ſtetit æquore Cæſar.
Nec ſatus aurora minor hoc, quia mennonis armis
Lucius, & liquida clamidem circundatus æthra Luc.Marcheſius.
Vectus equo: dea quem cœli de ſemine nato
Donarat patrios ſpirantem naribus ignes.
Tum gemini uirtute pares, & ſanguine iuncti,
Caldorus, Pyrrhuſq́, illum Cornelia curſu Io.Ant. Caldorus.
Et decepta deo, Sæbethi ad fluminis undam, P.Alois.Carrafius
Hunc inter uirides peperit Victoria palmas.
Ambo altum genus Entelli de matre trahebant,
Ambobuſq́ auiæ micat in ceruicibus aſtrum.
Exin conſpicuus gemmis Aquiuiuus & oſtro, Ant.Aquiuiuus Iouianorũ et Hadrienſium dux.
Sed phaleras lucemq́ oculis ſuperabat & aurum.
Auroram eois ueluti cum ſurgit ab undis,

Lucifer, & cunctos flammis fugat aureus ignes
Ab viua ſic dictus aqua, quia nympha ſub auras
Illum propter aquam (ut uiuo ſe fonte lauabat)
Aedidit, & iouiæ lucis ſeruabat opacis.
Cum pater hunc gremio nymphæ lachrimantis Apollo
Arripuit, nati vitam non paſſus inertem,
Aonioq; iugo muſis commiſit alendum,
Quem cantus inter ſacriq; ad murmura fontis
Pars pulſare chelim docuere, & ludere patri
Carmina, pars lycijs humeros armare ſagittis,
Parnaſſiq; acres venari in montibus apros.
Inter quas Clio galeæ (quam forte pararat
Munus ad hoc olim venturi præſcia ludi)
Geſta Iulii Aquiu. Fortia geſta patrum fuluo deſcripſit in auro.
Et puero auſpicium parui certamine Iuli
Primitias marti egregias & grande tropheum
Erexit, teneroſq; humeros onerauerat armis.
Hic Maſi quondam inuicti fuga cernitur auro
Ad portas nequicq̃ vrbis, qua corniger alto
Aufidus humectat venuſinos gurgite campos.
Tum fundata ſuo de nomine Iulia ponto,
Pugnaq; victoriſq; apparet laurea ſarni,
Bellaq; non alias magis aſpera ducta Tarento.
Nec procul hinc bis victa armis ſtant agmina thuſca,
Iactaq; Piſanis ardent incendia portis.

His etiam

His etiam multo ſpumantem ſanguine Rhenum
Addit, & Hidrunti miſeratos prælia Diuos.
Oſſaq; conciſaſq; manus diſſectaq; membra
Diua legit, lachrimanſq; aurata condit in vrna.

Iul. Aquiu. crudeliter a, Turcis cæſus Hidr. bello.

Extremum, monumenta Aualorum æterna, cruenti
Te belli titulis ornat pater Indice, qui das

Indicus Aualus Alphonſi pater eodem bello clariſſ.

Sanguinis huius, & afflictæ pietatis, & æui
Vltorem turcas atq; Africa regna prementem.

Alp. Aual. viẽnam cõtra turcas, tunim contra afros Profectus & victor.

Ille deæ dono, famaq; impulſus amore
Gaudet imaginibus, pictoq; accenditur auro.
Atq; vna germanus erat, quem ſanguine Diuum
Belus ab antiqua deductus origine Beli

Io. B. Beli. Aquiui neritinorũ ducis F. quorũ vrbis inſigne eſt taurus.

Progenuit, puer ipſe Iouis inſigne paternum
Portat agenorium cognato vertice taurum
Pictus acu clamidem, & neritinis cingula bullis.
Poſt hos iapygiis fabricata incudibus arma
Tydides graio Regum ſpectandus ab ortu

Io. T. Dio. Carrafii Cirr. comitis F.

Fatalemq; oſtentat equum de ſemine eorum,
Quos pater argyripam phrygiis abduxerat oris.
Venit & ætheria Maiæ de ſtirpe ſuperbus
Annibal, & Iani clarus de ſanguine Ianus,

Ann. Aioſius Io. de Maio F.
Io. T. Ianuarius.

Ianus equo, phaleriſq;, & pullo ornatus amictu
Saturnum referens patriis latuiſſe ſub oris:
Ille niues imitatus aui, fratremq; volucrem,
Albus equo, clamideq;, & ſummis uertice pennis.

Vt ſeſe æthérias attollit olympus in arces,
Vt uicina biceps tendit parnaſſus ad aſtra,
Sic gemini capite elato petere alta uidentur.
Iac. Saponarieñ. comes. *Nec Grumentini poſſeſſor defuit agri,*
Fortunate puer, ſi quid mihi lucis ab illa,
Culmina quæ circum parnaſſi nubila tranat.
Pulcher Vgo furto ſub aquas Aciritide pulchra
Quem genuit, quia ſæpe altis de montibus olli
Et precibus lacbrimiſq; ſuos narrarat amores,
Ludentiq; cauis ſparſit conchilia ripis.
Illa preces lachrimasq; & dona, exoſa pudicam
Auertit mentem, & patrio ſe condit in alueo.
Tum conſanguineum furijs agitatus in amnem,
Per latices perq; antra, fugæq; extrema gementem
Compreſſit pelago excito, & ſpumantibus undis.
Hanc auro pugnam, & ſuperatam in flumine matrem
Ornatus monſtrabat equi, quem bina tegebant
Terga boum, ſquamaq; auri ſeptemplicis ordo.
Hic armis tectus pulchris, ſed pulchrior ipſe
Inſignem fert gripha apicem, qui caſſide & auro
Imminet exultans, roſtroq; immanis adunco
Emittit flammas oculis, procul æther & auræ
Horreſcunt uiſu, ſtridentq; ſub unguibus æra.
Ant. de Iſcera. *Mox Iſceriades ab origine ductus ibera,*
Inſignis facie, & pictis Antonius armis.

Huic genitrix, ut turiacas reuocaret ad undas,
Sæpe Italis nymphis & de Sæbethide quæſta,
Argento clamidem & rutilo intertexerat auro,
Atq; oſtro, atq; roſis, & purpureis hyacintis.
Hic & in exemplum iuueni, genus omne ſuorum
Pinxit acu, hiſpanaſq; acies, & prælia Regum.
Inter quos etiam abſentis ſolamina nati,
Addiderat ſua facta, altas qua dederet arces
Hidrunti uirtute puer, quibus iſſet in armis
Eridani ripa ſpolijs ornatus opimis.
Munere quo, primoq; aſſurgens flore iuuentæ,
Arduus elato pulſabat uertice cœlum.
Et tandem auriferis Vgedus miſſus ab oris
Fulgenti filicem galea, atq; inſignæ biformis
Centauri genus extrema de parte ferebat.
Omnis in hunc conuerſa fremit thirrena iuuentus,
Et pueri matreſq; uirum, uilloſaq; membra,
Horrificoſq; oculos trepidæ mirantur, & ipſa
Semiferi ut ſublata ſolo ſonet ungula cornu,
Vt uir equo (mirum) ſit nexus, ut intonet ore,
Sed blande monitis alium caſtiget Achillem.
Parte alia, circi prima ſtat fronte Camillus,
Ardenteſq; exponit equos, iuuenemq; canebant
Tritones concha, & lituo Miſenus ab alto.
Stabant biſſeni uario cultuq;, feriſq;

Vgedus Gallæcus dictus centaurus ob raram equitandi peritiã, ac cuſtos pueri princ. Salernitanorũ

Sublimes in equis pueri, ſed & omnibus unum
Aurum humeris, unum phaleris micat omnibus aurum.
Illi inter ſe ſe erecta ceruice iubiſq;
Inſultant tellure uagi, & nunc aera ſaltu,
Nunc crebris uacuas implent hinnitibus auras,
Conceptumq; cauis efflant e, naribus ignem.
At cunctos magno pulcherrimus Hectore cretus
Supraſtat pompa, ac totum ſibi uendicat aurum.
Ex auro galea, ex auro ſtant uertice criſtæ,
Auri per ſolidum ſquamæ thoraca rigebant
Septenæ, tum lentæ ocreæ, & Vulcanius enſis,
Haſtaq;, & inſtratus ſonipes circundatur auro.
Ipſe canes auro pictos in veſtibus aureis
(Dona deæ) ſummoq; auratis uertice plumis
Fert inſigne aquilam Victoris Cæſaris, illi
Orbis in imperium quæ concipit omina lauro,
Dum puer humanis properat ſuccurrere rebus.
Circum quem proceres, & ſummo ex ordine lecti
Ductores, circoq; fremit glomerata ſub Vno
Parthenope, comptuſq; ſacra Sæbethus oliua
Sublimes animos miratur & arma nepotum.
Ille parata in ſe tantæ diſcrimina pugnæ,
Totq; uices uireſq; uirum paſſurus, aperto
Infert ſe campo, aduerſoſq; expectat in armis,
Dum tuba quemq; ſuo uocet in certamina cantu.

Nec mora fertur in hunc prima Mormilius haſta,
Inde Camillus, & in medijs concurſibus acres
Excipiunt ictus, gemitus dant pectora vaſtos
Armaq; & haſtarum volitantia fruſta fragorem,
Et pedibus tellus percuſſa immugit equorum.
Illi bis contra celeri curſu, atq; reſumptis
Niſi hærent haſtis, & iniquo pignore ludunt.
Tertia ſed poſtq̃ commiſſa in prælia lis eſt,
Cæſar in auratam tendebat caſſida contum:
Et ni vitet auem & ſacratam in vertice laurum,
Aut tentet galeam, aut criſtas delibet inanes,
Inter vtrumq; leues ictu diuerberat auras.
Eæ trepidæ fugiunt, & ſibila vana queruntur.
Ille apicemq; caputq; oculis metitus & haſta,
Certa petit, caua non ficto ſub vulnere caſſis
Euomuit flammas, & ſquamis ſtridet ahenis.
Victoremq; omenq; omnis clangore tubarum
Excæpit fauor, & longo ferit æthera plauſu.
Ipſe alia emenſo redit in certamina campo.
Et vix alipedi ſpumantia lora retorſit,
Atq; immane manu victrici haſtile locarat,
Cum Diomedeus magni inſtar turbinis hæros
Euolat, & verſo componit puluere nubem,
Vnde nec ipſe, nec aurata ceruice Camillus
Diſcerni potuere, cauas ferit haſta tenebras,

Rurſus & excitis fallax errauit in vmbris.
Ille ſed aduerſo robur ſub pectore quaſſat,
Iapygis ingemuit thorax, & totus in armos
Hoſtem depreſſus ſonipes fugit: illius ergò
Tydides extrema furens in prælia currit,
Qualis aper nemorum denſa inter luſtra moloſſo
Excitus, vel adactus amore ad prælia taurus.
Nec ſecus hectoreæ contrà uirtutis alumnus
Aegit equum, ualidaq; iterū quatit arbore pectus.
Accenſiq; ſuper, laude hic, magno ille rubore,
Turbabant quarto ludorum fœdera curſu.
Sed numero tuba præfixo reuocauit euntes,
Et Diomedei cecinit ſolamina caſus,
Lætior hunc cantu uenientem miſit in hoſtem.
Continuò effuſus medio de carcere, aperta
Pulcher Vgoniades extendit in æquora curſus,
Hippolyteq; unà genitus, tum niſus uterq;
Viribus immani contundunt abiete pectus,
Et duris reſonat perterritus ictibus æther.
Olli non aliter diſcurrunt, concita neruo
Quam cum diſcuſſum uolitat per inane ſagitta.
Armatiq; haſtis redeunt, & dura retractant
Vulnera, nituntur q; uiri uirtutis amore,
Ambo animis, ambo incenſi præſtantibus auſis.
Nec contenti altis ſucceſſibus, ultima ferri

Et ſua in armatas experti robora coſtas
Dant ſonitum, & ſparſiſq; uolant haſtilia truncis.
Ille habito eximiæ magno uirtutis honore
Lætus, & ingenti cumulatus laude Camillus,
Diſcedunt hominum clamore ad ſydera miſſo.
Et quoniam elata ruit haſta Antonius, ictu
Calcis equum citat in iuuenem Pinatellius, acri
Pectora concurſu, & pulſo cuncta ære reſultant.
Non aliter, quam cum ſiculo Vulcanus in antro
Telum incude quatit magni iouis, omnia circum
Ingeminant ſtrepitum, & toto tonat inſula ponto.
Ipſi ex ambobus facto uelut agmine, rurſus
Mole ruunt, fractiſq; ineunt noua prælia contis.
Ille altum rediens pectus percuſſit & una
Connexos armos: circum caput haſta Camilli
Nititur, & ſummas deguſtat acumine criſtas.
Sed iam oculos animoſq; hominũ conuerterat in ſe
Pulcher eques, tuba quem rauco prædixerat ore
Per medium caueæ conſeſſum, & maxima circi.
Ecce, uelut liquido delapſus ab æthere cycnus,
Sed galea lauroq; inſignis Apolline cretus.
Quem contra uictor Dictynnæ cura Volucri
Fertur equo, centumq; ſonant latrantibus arma.
Congreſſu quo infractæ haſtæ, & cõterrita tellus.
Verum non parua contenti laude, fatigant,

Arma & equos, alias haſtas, alioſq; recurſus
Explorant, duriq; iterant certamen honoris.
Ceu duo per campos ſi quando vnius amore
Congrediuntur equi, ſyluæ vicinaq; clamant
Littora, & attonitis trepidant armenta magiſtris.
Nare ignem interea miſeri iaculantur amantes,
Elatiq; ſolo, nec humum nec calcibus auras,
Sed pectus tundunt lacerum, & ceruicibus ora
Affixos, pugnæue pudet, ſeu cædere campo.
Hic præclara tot arma, & auitum gentis honorem
Viuiaquæ, voluitq; animo iouis eſſe nepotem,
Quodq; mari immenſo dederit uetus Adria nomē.
Illi animos uireſq; facit Dea, & Hectoris acta,
Tot Reges populiq;, & tota ænotria tellus
Conſilijs armiſq; uiri defenſa, furenſq;
Trinacris, & tanta compoſtus mole Pachynnus.
Vectus equi furijs Aquiuiuus uoce precatur,
Da pater hanc nato laudem, da frangere ferro
Caſſida, & exturbare ab equo currente ſedentē,
Ne uiuam ante tuas poſt hac inglorius aras.
Audiit hæc, partemq; deus dedit eſſe: Cam illus
Nam dum forte ferit gemmatum pectus, & haſta
Fracta ictu, raucoq; ſonant procul arma fragore,
Solus inoffenſam ſub aduncos præpetis ungues
Percuſſit galeam, & ſquamas diuulſit ab auro.

Tinnitum

Tinnitum dedit illa, aſtrumq; in uertice ſulſit.
Cælicolæ intereà celebres ad littora ludos
Alto proſpectant cælo, ſtudijſq; fauebant
Nunc huic, nunc illi: longe ſed Iuppiter omnem
Expendens rerum ſeriem, caſuſq; futuros,
Colligit horum armis olim & uirtute duorum
Sedari auſoniæ magnos debere tumultus,
Et patriæ infeſtos arceri limine gallos.
Quare Atlantiadæ pater imperat, illius æſtus
Componat pugnæ, & cupidos tam laudis, earum
Incendat ſtimulis iuuenes, quas fata reſeruant.
Ille citis ſummo delapſus ab æthere pennis,
Non oculis hominum, nec Diuum cognitus ulli,
Conſtitit in medio, & placida ſic uoce locutus.
Parcite ſublimes animæ, ſat martis in arma
Humano quantum poſſit ſub pectore uirtus.
Vidimus, & meritam uobis dant Numina laudē,
Atq; hæc Mercurius porto mandata Tonantis.
Deſinite, & uosmet uenturis credite rebus,
Miſſurus totum Cæſar ſub legibus orbem,
Cum primum Italiam et ſua regna tuebitur armis.
Vobis illa dabunt & fata & tempora famam.
Dixit, & amborum ſparſit ter nectare frontem,
Arma ter, & clamidem ter cæli afflauit honore,
Atq; unà celer effugit ſublatus in auras.

Certantes moniti diſcedunt numine pugnæ,
Et ſecum taciti (quæ ſint ea fata) volutant,
Nec puduit martem fictæ ſuccedere pugnæ
Defeſſi iuuenis virtute & amore Dianæ,
Exhauſtæ donec recreentur corpore vires.
Quem denſis nebulæ dea protinus occulit vmbris
Rorantem, & patris lænibat laude labores.
At Mauors faciem mentitus & arma Camilli
Auroræ medio percuſſit in æquore natum,
Velocemq́ repreſſit equum: redit ille, nec haſta
Nec curſu valuit cœleſtem tendere in hoſtem.
Audentemq́ vltra & diſcrimina in ipſa ruentem
Excutiat deus, aut ſæuo tranſuerberet ictu.
Anxia ni reuocet commiſta nube per auras
A, fato natum infelicem mater acerbo.
Tu quoq́ quid tantos verſas ſub pectore motus?
Quid iuuenis tantum inuito conaris olympo?
Dura tibi res eſt cum cœlo, & prælia Marte.
Iane redi, nec equo demens te crede citato,
(Sanguinis hic & mortis amat, non munera ludi)
Dum memor hoſpes, & aurati Rex maximus æui
Oppoſita te falce, & amatis protegit vmbris.
Exin fraxinea ſubniſus Aioſius haſta
Irruit, inſolito mugit ſub pondere tellus,
Et ſtrepitu concuſſæ auræ, tum pectora mole

Pulſa gemunt, ſquamæq; ictu ſparguntur ahenæ.
Quo magis infrendens, atra mage turbidus ira
Mars it in aduerſum: virtutis conſcius æther
Horruit: & rurſus celerans Ioue natus ab æthra
Congreſſum ſæuo ſubtraxit numine fratrem.
Tum Caldorus in hæc animis elatus & armis,
Quis deus, aut quæ tanta fauet fortuna Camillo?
Et curſu præceps duram collum inter & armos
Infregit malum, ſed mitius ille ſuperbi
(Viderat vt primis iuuenem clareſcere in armis)
Vix thoraca leui deraſit vulnere, & vltro
Extollit dictis, Entelli vera propago,
Iure tibi virtus, & præſens gratulor ipſe,
Cætera cæde deo, agnouit tunc numen, & atras
Sub galea furias Caldorus, & æquore ceſſit.
Dumq; huc verſus & huc mortalibus intonat armis
Mauors, & lato reſonant tabulata fauore.
Lætatur Venus, extollant quod Numina amantem,
Excepto Genitore: oculos qui nuper in ambas
Fixus Aragonias, voluebat mente propinquos
Succeſſus, fœtuſq; altos, & fata ſororum. *Ioãna et Maria aragoniæ As. Colum. et Alph. Aualo nuptæ.*
Quæ picta in morem priſci ſub tigna theatri
(Cum non dum lapides & marmora pauper haberet
Romanus, ſcæniſq; immenſum oſtenderat aurum)
Spectabant alacres iuuenum certamina campo.

Ac prior, o genitor (ſi dicta reponimus) inquit,
Ex iis magna meæ promiſſa eſt gloria genti
Romanos Italoſq; iterum ductura triumphos.
Tum pater, vnde homines, diuiq; tremendaq; fata,
Ingentem rerum venientum euoluit aceruum.
Promiſſis nec nata meis fallere, nec ipſa
Fata vetant: ſub humum non iis illuſtrius aſtra,
Pulchrius aut videat ſublatum in ſydera tellus.
Illa ſub imperio Latiumq; & regna Latini
Accipiet, pulchraq; tuos ſub prole Quirites
In mores famamq; æternam attollet auorum.
Altera læta vtero, & fortunata marito,
Inter tot ſpolia & lucentia vbiq; trophæa
Inſubriæ incedet gallas Regina per vrbes.
Et iam cum fatis diuiſq; oblitus initi
Fœderis, in medium ventura arcana tuliſſet
Omnia: ni ſubito rupiſſet Mulciber altum
Rumore inceptum, & vocem clauſiſſet in ore.
Namq; hic riualem non paſſus, & omnia ficto
Cædere victori, ac tantos ſuccreſcere faſtus,
Vgedo fauet inſtanti, atq; ille horrida donec
Membra feri, parteſq; agiles miratur equinas.
Ipſius in ſummã direxit caſſida pinum
Qua videt, & mentita tegit deus impius ora.
Infixamq; refert galeam haſta, vnaq; furores,

Et caput inuiſum terris cœloq; retexit.
Riſerunt ſuperi, riſerunt numina ponti
Cuncta dolum: viſuq; horrendo territa corda
Ille hominum atq; oculos medio in clamore reliquit.
Excituſq; deæ denſa de nube Camillus
Proſiluit, iam par mauorti viſus in armis.
Alter erat, quia ter iuueni Cyllenius ora
Sparſerat ambroſia, & diuino afflarat honore.
Quem contra pictis extemplo Pyrrhus in armis
Vectus equo immanem dextra librauerat ornum.
Percuſſæ duris ſtrident congreſſibus auræ,
Et thorax grauibus crebros vomit ictibus ignes.
Hic facti fama & victricibus arduus armis,
Exuperatq; animis: proprium victoria natum
Adiuuat, & contra clypeumq; enſemq; coruſcat
Terribilis, ſupraq; volat fulgentibus alis.
Horret equus, retroq; deam reuolutus adorat.
Hic ſtimulis pauitantem & verſis rurſus habenis
Aegit: at elatum genitrix haſtile lacernæ
Anxia, perplexoq; actu circumimplicat auro.
Sed quis nam dolus, aut virtus obſtare Camillo
Poſſit? & inſignem clamidem diſrupit & aurum
Atq; auras, telumq; manu libratile tendens
Arietat in iuuenem, ille ictum virtute virumq;
Excipit, & pariter currentem mole repreſſit.

Sed ſol occiduas curſu properabat ad undas,
Et tuba ſupremam celerauerat aggere pugnam.
Ille ut ſidonio uultum perfuſus in oſtro
Arſit, & hic acrem telo redit acer in hoſtem.
Poſtremus nec honore minor, nec uiribus impar,
Fortis Agenorides toto uolat æquore contrà.
Ter magnis congreſſi auſis, ter grandia contis
Vulnera perpeſſi iuuenes, totidem ictibus haſtæ
Colliſæ horrendum ſuper arma dedere ſonorem,
Immenſi toties circi plauſere theatra
Per cuneos & miſta uiris ſpectacula uulgi,
Et uaga mulcentes lituorum ſydera cantus.
Gratantiq; diem produxit ueſper olympo,
Donec ſtipantis populi clamore patrumq;
Aſſenſu cunctis prælatus laude Camillus
Debita Cæſarei perſoluat munera ludi,
Ipſe nouo cum ſit famæ contentus honore,
Sed quem poſteritas longos miretur in annos.
Donat Agenoridem uictorem adamante: deditq;
Vgedo gemmam radijs atq; ignibus acrem,
Quod leui celeres curſu præuerterat auras,
Quin & Vgone ſato uiridem dat habere ſmaragdum,
Qui comitum ſtudia ornatu ſuperauit & auro.
Et clangore tubæ cum ſigna dedere canoro,
Auditi magnum increbreſcere in aera motus

Terrifico ſonitu, & denſas diſrumpere nubes:
Atq; unà intremere horrendo ſtridentia partu
Viſcera terrarum, & cœlum ruere omne fragore.
Mortales tonitrus, & fulmina ſulſure miſſa,
Quæ miſeris caua monſtra uomunt uulcania terris
Murorum in ſtrages, & quicquid martis ubiq; eſt:
Ceu ferrum humana leue ſit pro cæde repertum.
Extemplo rimis flammarum, & olentibus umbris
Confuſum per inane, furens uis ignea campos
Corripit aerios, & in æthera ſurgit apertum
Sternens cuncta metu impendente: miniſq; coruſcis.
Infrà omnes ſtrepitu ualles, & littora curua,
Phlegraq;, baianiq; ſinus, lucrinaq; clauſtra,
Et pulſæ ſummis reſonant cum montibus urbes.
Quo uerita, in ſuperas ſedes ne forte parentur
Bella iterum, portas clauſerunt Numina *cœli:*
Obducta in terris ſiluerunt omnia nocte.

FINIS.

Romæ apud Antonium *Bladum.*
M. D. XLIIII.

944517

Digitized by Google